



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

LXVI. S. Gregorivs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

tas Apostolicæ sedi B. PETRI priuilegio singulari sit tradita. ITEM eosdem dubitantes, quæ dicenda esset certa prouincia, informat, & instruit dicens. *Scitote certam prouinciam esse, quæ habet decem vel undecim ciuitates & unum regem, & totidem minores\* ciuitates sub se, & unum Episcopum, aliosq; \*suffraganeos decem vel undecim Episcopos iudices, ad quorum iudicium omnes causæ Episcoporum & reliquorum sacerdotum ac ciuitatum causæ referantur, ut ab his omnibus iuste consona voce discernantur.*

<sup>6. q. 3. c. scitote.</sup>  
<sup>\* potestates</sup>  
<sup>\* suffragato-</sup>  
<sup>res</sup>

I TEM Benigno Archiepiscopo de Episcoporum transmutatione consulenti transmittit<sup>b</sup> epistolam, in qua eum, qualiter regulariter transmutari vel non possint plenissimè instruit. & hæc iam supra notauimus. Item in eadem prædictum Archiepiscopum ad iustitiam sectandam hortando dicit. *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationibus iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum peccatis propitiabitur. Item, Qui offert sacrificium de substantia pauperum, quasi in conspectu patris uictimat filium. Item. Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius? sic & homo, qui ieiunat in peccatis suis, iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se orationem eius quis exaudiet? In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas.*

<sup>2. q. 7. c. nullus.</sup>

I TEM vniuersis Episcopis, & specialiter Campaniæ & Italiæ Episcopis scripsit<sup>c</sup>, & ad monitionem Episcoporum, quæ sæpenu-merò à prædecessoribus suis posita, & superius annotata sunt, videlicet, de accusatoribus & cæteris pleniter posuit, & inter cætera de monachis dicit. *Nullusq; monachus talia vsquequaq; arripiat, nec secularia, aut Ecclesiastica negotia perturbare psumat, q; vox eorum in talibus est mortua.*

<sup>4. epist.</sup>  
<sup>De conf. d. 1. c.</sup>  
<sup>inuenimus.</sup>  
<sup>\* veritas</sup>

I TEM Episcopis regionum Germaniæ & Galliæ intrui rogâ-  
tibus præfationum ordinem, quem Ecclesia Romana seruaret, re-  
scripsit<sup>d</sup> ita dicēs. *Sacrū ordinē Romanū, sacrag; cōstituta nostrorū antecesso-  
rū sollerter relegentes, inuenimus has nouē præfationes in sacro catalogo solum-  
modo recipiendas, quas longa retro\* vetustas in Romana Ecclesia hæctenus ser-  
uauit. vnā, in Albis Paschalibus, aliā de Ascensione Domini, tertiam de Pen-  
tecoste, quartā de Natiuitate Domini, quintā de apparitione Domini, sextā de  
Apostolis, septimā de S. Trinitate, octauā de cruce, nonā de ieiunio Quadrage-  
sima. \* Si quis his supradictis dempserit, vel addiderit, anathema sit. Hic or-  
dinauit Ep:scopos 48. presbyteros 28. diacon. 8. Obiit. a. 7. Id. Feb.*

<sup>\* has tenen-</sup>  
<sup>das vobis mā-</sup>  
<sup>damus.</sup>

A. D. XC.

LXVI.

S. GREGORIVS.

GREGORIVS, natione Romanus, ex patre Gordiano, sedit annos 13. menses 6. dies 10. Hic fecit 40. homilias, & exposuit Iob & Ezechielē. composuit dialogum & Pastoralē curā. Scripsit et numero-

merosa decretalia, quæ quia plurima sunt, separatim, & suo in loco, Deo dante, & vita comite breuiter excipiemus. Nunc autem, quia præsentis negotii serie ad prædicti Papæ ordinem, & actionem annotanda peruenimus, pauca saltē ponenda esse existimamus. Hic in Synodo cōstituit, ne laici pueri ad secreta cubiculi Romani Pontificis seruitia exhibeant, sed clerici vel monachi: vt is qui est in loco regiminis habeat testes, & tales viri eius in secreto conuersationem videant, qui ex visione sedula exemplū profectus sumant. Cōstituit etiā, vt feretrum, quo Romani Pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, nullo tegminis velamine veletur. Quod ideò fecit, quia corpora Pontificum, cum humi mandāda deferebantur, dalmaticis tegebantur, & eas pro sanctitatis reuerētia scindentes partiebantur. Constituit etiam, & sub vinculo anathematis prohibuit, ne aliquid de ordinationib. aut ex datione pallii, aut ex traditione chartarum accipiatur: sed si is, qui ordinatus est, post acceptas chartas seu pallium aliquid offerre voluerit, gratiæ tantummodo causa id accipiendum esse non negat, quia eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non procedit.

Hic Augustino Anglorum Episcopo de multis consulenti, ad singula iuxta barbariem gentis & nouitatem eorum conuersionis rescripsit, dicens. *Oportuerat quidem, quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos ad copulā matrimonii non accedere, sed in tam barbara gente magis placet respectus temperantiæ, quàm districtio censura, concedendum est, vt post quartā generationem iungātur.* Ad hoc. a. quod quæsiuit, si mulier infirmitate detenta non valuerit viro debitum soluere, quid faciat iugalis: Respondit, *bonum quidem esse, si sic permaneret, vt abstinentia vacaret: sed quia hoc magnorum est, ille, qui se nō poterit continere, nubat magis, non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit & nō detestabilis culpa excludit.* De presbytero verò à populo accusato, dicit. *Si certi non fuerint testes, q. crimini illato approbent veritatē iusurandū erit in medio, & illū testem proferat de innocentia sua puritate, cui nuda & aperta sunt omnia, sicq. maneat in proprio gradu.* Itē præcepit, ne eis, quos pater vel mater iuxta septa monasterii in infantia annis sub regulari tradiderunt disciplina, egredi liceat, postq. pubertatis anni inoleuerint. Illos, q. absq. interrogatione subdola ab adulteratis presbyteris baptizati sūt, prohibet rebaptizari. Leprosis .a. Christianis corpus & sanguinē Dñi cōcedit dari: cū sanis .a. celebrare conuiuia interdicit. Itē, valdè fatuū ēe iudicat, si morbus, aut mortalitas q. buslibet in locis irrepserit, illos, quos nōdū tetigit à loco ciuitatis periculū fugere, quia nemo aufugere Dei manus poterit. De his verò presbyteris q. multis vitiis irretiti, quorū vita ī seipsis sacerdotiū maculat. præcepit,

vt eos Apostolica auctoritate redarguendo admoneat, & ad munditiam Ecclesiasticã perducatur: & si obedierint, saluabunt animas suas & ipse mercedem habebit. *Veruntamen colloquutionem & mensam communem cum eis agere non recuset. Plerunque contingit, vt quos correctio discipline tardos fecit, ad percipiendam veritatis normam, conuiuiarum sedula pastio, & admonitio blanda ad viam perducatur iustitiæ. Id ipsum autem & in ipsis proceribus, qui tibi adiutorium præstant, obseruare debebis.*

Hic auxit in canone. *Diesq; nostros in pace dispone.* &c. Huius tempore ad Dominum conuersi sunt Angli. Hic iussit, vt supra corpus B. Petri Missa celebraretur, & in Ecclesia B. Pauli eadem fecit. Hic ordinauit Episcopos 62. presbyteros 39. diaconos 8. Migrauit autem ad Christum 4. Idus Martii.

A.D.C.IV.

LXVII.

SABINIANVS.

**F**ABIANVS, natione Tuscus, de ciuitate Blera, de patre Bono, sedit annum 1. menses 5. dies 8. Hic addidit luminaria in Ecclesia B. Petri. Hic ordinauit Episcopos 26. Obiit autem 8. Kal. Martii.

A.D.C.VI.

LXVIII.

BONIFACIVS. III.

**B**ONIFACIVS, natione Romanus, ex patre Ioanne, sedit menses 8. dies 22. Hic obtinuit apud Phocatem Principem, vt Ecclesia Romana, sicut omnium Ecclesiarum caput est, ita etiam Constantinopolitanæ, quæ se omnium Ecclesiarum primam esse iactabat. Hic constituit, vt nullus viuente Episcopo de eius successore agat, sed tertio die depositionis eius adunato clero & populo fiat electio. Hic ordinauit Episcopos 22.

A.D.CVII.

LXIX.

S. BONIFACIVS. IV.

**B**ONIFACIVS, natione Marfus, de ciuitate Valeria, ex patre Ioanne medico, sedit annos 6. menses 8. dies 12. Huius temporibus fames valida, & inundationes aquarum grauissimæ fuerunt. Hic templum PANTHEON, quod vocabatur, à Phoca principe petiit. quod & consecrauit in honorem S. Mariæ Virginis, & omnium Martyrum. Hic ordinauit Episcopos 36. diaconos 8. Defunctus est autem 10. Kalend. Iunii.

LXX.